

BESSARIONIS CARDINALIS
APOSTOLICAE SEDIS LEGATI
ORATIONES.

Die nachfolgenden Reden Bessarions sowie einige weitere Schriftstücke stammen aus der Zeit seiner Legation nach Deutschland im Jahre 1460/1 und betreffen sein Werben bei den deutschen Fürsten für die Durchführung des auf dem Kongreß zu Mantua (1459) beschlossenen Türkenkrieges.

Das aktenmäßige Material zu diesen Vorgängen auf den verschiedenen Reichstagen zu Regensburg, Frankfurt, Neustadt und Wien ist in der älteren Literatur nach und nach zusammengetragen worden. So zunächst bei H. Chr. Senckenberg, *Selecta Iuris et Historiarum*. Tom. IV, *Francofurti ad Moenum* 1738, p. 326—364. Doch wird hier und auch sonst die Tagung zu Nürnberg überhaupt nicht erwähnt. G. G. König von Königsthal brachte dann in seiner Nachlese ungedruckter Reichstags- und reichsstädtischer Collegialhandlungen unter der Regierung Friedrichs III. Frankfurt 1759, I 71—168 weitere Stücke, ohne seine Vorlage zu nennen. Wieder neue Ergänzungen legte Chmell aus dem Cod. Mon. lat. 4016 vor in den Sitzungsberichten der Wiener Akademie d. W. phil.-hist. Cl. 1850, II S. 652—656. Vgl. auch unten *Bessarionis Epistolae*.

Im Nachfolgenden veröffentliche ich die im Cod. Vat. lat. 4037 (guter Text) zusammengestellte Sammlung mit Heranziehung des Plut. 54, Cod. 2 der Bibl. Laur. und des Cod. Mon. lat. 4016 (fehlerhaft). Erstmals neu ist hier die Rede Bessarions zu Nürnberg (*Cum salvator noster . . .*). Die sehr fragwürdige Textgestalt der Druckausgaben rechtfertigt neben den neuen handschriftlichen Unterlagen auch die Wiederholung der übrigen Stücke. Die Rede: *Multa quidem et antehac . . .* steht bei König von Königsthal S. 150—168; der Bericht Bessarions: *Cum haec itaque publice . . .* bei Chmell in den Wiener Sitzungsberichten 1850 II S. 652; Bessarions Rede: *Vellem, praestantissimi oratores, . . .* bei Senckenberg IV 357—361 und bei Chmell a. a. O. 653, der die Rede mit dem vorhergehenden Bericht zusammen als ein Stück mitteilt; der Brief der Gesandten: *Putabamus grata . . .* bei Senckenberg IV 361—364. Die Erwiderung Bessarions auf diesen Brief: *Neque nobis gratae sunt . . .* ist hier neu.

**Oratio habita in Conventu Nurimbergensi,
Cum illic Legatus esset soluto Mantuano Conventu.**

Cum salvator noster ad caelos migraturus atque ad patrem, unde L 232
 5 venerat, ex hoc mundo rediturus, quamquam cum eo semper et ubique
 fuerit et sit, — ita enim de caelo descendit, ut non discederet a sinu patris —
 discipulos, quos elegit quosque in finem usque dilexit, instrueret viven-
 dique modum et formam traderet, pacem eis tamquam praecipuum
 supremumque munus hereditarium tamquam pretiosissimum ex testa-
 10 mento legatum reliquit: »Pacem relinquo vobis, inquit, pacem meam do
 vobis,« et rursus: »Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; sicut
 dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quod
 mei discipuli estis, si dilectionem habueritis invicem,« et iterum: »Hoc est
 praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos,« tamquam nil
 15 melius, nil iucundius, nil pretiosius haberet, quod eis relinqueret. Siquidem
 hanc cetera bona consequantur, hanc omnis concomitetur prosperitas,
 omnis adversitas fugiat, absque vero ea vita humana consistere non
 possit, labatur et ruat. Cuius tanta vis est, ut non modo provincias
 ampliet, urbes magnificet, domos vigeat, quemcumque privatum con-
 20 tineat, illaesum conservet, ab omni defendat iniuria, sed quod maius
 est, etiam quo ad interiora cuique prosit, sanitatem efficiat, hilari-
 tatem generet, laetitiam causet. Haec sacratissima pax trifariam dividi-
 tur. Primo namque cum Deo creatore nostro pax habenda est, deinde
 unicuique secum, postremo cum proximo. Tanta tamen harum invicem
 25 partium connexio atque conglutinatio est, ut nulla seorsum eatenus
 ab aliis consistere possit. Qui namque diligit Deum pacemque habet
 cum eo, ut se proximumque suum diligit, necesse est. Quippe qui diligit
 Deum, mandata eius servat. »Si enim diligitis me, inquit, mandata mea
 servate.« Mandatorum enim divinatorum observatio vitam aeternam ob-
 30 servanti praebet. Cum vero se ipsum diligere nihil aliud sit nisi bona
 sibi velle, idem esse probatur divinis mandatis obtemperare, quod se
 ipsum amare, idemque Deum et se ipsum diligere. Atque nemo potest
 Deum diligere, nisi proximum diligit. »Si quis enim dixerit, inquit
 Ioannes apostolus, diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est.

B = Cod. Vat. lat. 4037, P. I. | L = Bibl. Laur. Plut. 54, Cod. 2.

4 salvator L servator B

10 Joh. 14, 27. | 11 Joh. 13, 34 sq. | 13 Joh. 15, 12. | 28 Joh. 14, 15. | 33 I Joh. 4, 20.

Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Necesse est, ut qui diligit Deum, diligat proximum, immo vero non possit diligere Deum, nisi caritate proximum amplectatur. Deum vero et proximum diligens se quoque amare convincitur. Ita hic unus idemque fortissimus tripartitus efficitur funis, 5
 B 82 quo tamquam scala quadam ad caelos ascenditur, gratiaque Dei descendit ad nos. Unde psalmista interiorum quidem et ad se ipsum pacem et eius fructum considerans: »Custodi, inquit, innocentiam et vide aequitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico etc.« Exteriori autem et ad proximos: »Cum his, inquit, qui oderant pacem, eram pacificus; cum 10 loquebar illis, impugnabant me gratis.« Iacobus autem apostolus de superiori et cum ipso Deo pace loquens: »Quae desursum est sapientia, dicit, primo quidem pudica est, demum pacifica.« Haec hereditas nostra, hoc donum Sancti Spiritus et quidem ceteris excellentius. »Manent enim, inquit, tria haec fides, spes, caritas; maius autem his caritas est.« 15
 Quis ergo eam non colat? Quis non amplectatur eam? Quis non fugiat totis viribus odium inimicitias et discordias? Siquidem iisdem rationibus, qui proximum oderit, et Deum profecto et se ipsum odio prosequitur maximo.

Huius sacratissimae pacis heres, defensor et conservator Pius, 20 scilicet pontifex maximus, pater piissimus, tamquam illius vicarius, qui princeps pacis apud Isaiam appellatur, me ad vos misit, principes illustres, eam vobis deferentem, modo velitis, modo ad eam suscipiendam prompti paratique sitis. Esse vero debetis, cum pax obsit nemini, prosit autem omnibus, cum parvae quidem res pace crescant, discordia vero etiam 25 maximae dilabantur. Et quemadmodum dominus Iesus discipulis, cum ad praedicandum evangelium mitteret eos, ita mihi eius vicarius imperavit, ut in quamcumque domum introiero, vobisque omnibus pax huic domui dicam, pax omnibus habitantibus in ea, pacem vobis afferam, conservem, quoad posse restituum. Suscipite igitur montes pacem 30 populo, ut cum propheta David vos admoneam; montes inquam vos principes, vos populorum rectores vel qui ceteris praeestis. Vos enim tam ecclesiasticos quam saeculares principes alloquor, qui vel per vos ipsos vel per legatos adestis, quorumque interest pro se proque populis sibi commissis pacem amplecti. Per montes namque saepissime apud sanc- 35 tam scripturam principes appellantur. Quemadmodum illud exodi est: »Bestia, quae tetigerit montem, lapidabitur,« et apud psalmistam: »Funda-
 menta eius in montibus sanctis.« Suscipite igitur pacem vobis, suscipite eam populo vestro, cum et vos et populus ea pariter egeatis nec possitis absque ea bene beateque vivere. Repetatis memoria, quot excidia, quot 40

8 Ps. 36, 37. | 10 Ps. 119, 7. | 12 Jac. 3, 17. | 14 I Cor. 13, 13. | 37 cf. Exod. 19, 12. | 37 Ps. 86, 1.

aerumnas, quot calamitates bella inferant. Quam suavis, quam dulcis pacis fructus sit, considerate, cuius ipsum etiam nomen amabile est.

Non lateat vos bella quidem ac inimicitias hostis nostri callidissimi, humani generis inimici, opus et inventionem esse, qui mox, ut humanum
5 genus conditum fuit, inter creatorem et primos homines, inter primos fratres inoboedientiam et inimicitias seminavit, pacem vero, benivolentiam et dilectionem creatoris salvatorisque nostri donum atque munus B 82^v praecipuum esse, qui mox atque natus est, pacem in terris per angelos nuntiavit. Discipulos ad praedicandum evangelium mittens pacem im-
10 primis, quocumque introissent, annuntiare iussit; moriturus atque ad patrem rediturus pacem nobis testamento quasi filiis hereditatis reliquit; post gloriosam resurrectionem apparens discipulis pacem eis obtulit. Suscipite igitur eam montes populo, fugite bellum, abiicite arma, accedite ad salvatorem, ab hoste discedite. Si vobis cara sit salus, si
15 filii Dei esse atque vocari partemque cum eo habere cupiatis, hereditatem vobis relictam quaerite, prosequamini, amplectamini. Si discordias, si inimicitias colitis, ego quidem abstinebo a dicendo. Vos vero non fugiet sententia salvatoris, qua Iudaeos, qui se Abraham in patrem habere gloriabantur, ferit, illum eos habere patrem asserens illiusque
20 filios esse, cuius opera facerent. Attendite, quaeso, quam iniquum sit cum quocumque Christiano etiam ignoto manus hostiles inserere, quam vero impium sit, contra fratres, consanguineos, propinquos et affines, quales vos invicem estis, bella gerere. Cogitate, proh dolor: quos natura coniunxit, cupiditas dividit, quos iidem genuere parentes, alienos avaritia
25 facit, et ita alienos, ut sanguinem suum sitiant et ad eum effundendum audacissima manu ensem evaginent. Ac Abraham, cum natura et sua et Loth fratruelis armenta crevissent, ut non posset eos terra capere, ut habitarent simul, non ad arma, non ad bella prorupit, sed, ut ne minimum quidem iurgium interveniret, providit. «Ne, quaeso, sit iurgium, in-
30 quit, inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos; fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est; recede a me, obsecro; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.» Quodque maius est, non sibi tamquam seniori et potentiori electionem arripuit, sed Loth optionem concessit. Fratres enim sumus,
35 inquit, ac si diceret fratribus non licere pro quavis re dissentire, non iniuriam inferre, non denique plus sibi quam fratri arrogare debere. Talis etiam Aemilius Paulus, talis tota Aemilia familia fuit, qui cum XVI essent, et omnes cum uxoribus atque liberis unam tamen omnes domum, et eam quidem angustam vel, ut Valerius Maximus ait, domun-
40 culam summa cum pace atque benivolentia, quamdiu vixerunt, teste Plutarcho in eiusdem Pauli vita habitarunt. Nunc vero, heu miseriam

7 salvatorisque L. servatorisque B | 14 servatorem B | 18 servatoris B
29 Gen. 13, 8 sq. | 39 Val. Max. 4, 4, 8.

B 83 nostram, nisi fluminum magnitudo, nisi montium asperitas tamquam gentium et provinciarum termini agros possessionesque fratrum dividant, quiescere non possunt. Quod tamen, cum parvi pusillique animi sit, generositatem excellentiamque vestram non decet, principes illustres, quippe qui pacis iustitiaeque auctores ceteris esse debetis. 5

»Suscipite igitur montes pacem populo, et colles iustitiam.« Si quid enim sit, quod paci obest, quod eam impediatur, ecce Spiritus Sanctus per eundem prophetam eodem in loco praebet remedium, »suscipite colles iustitiam« addens. Hoc enim medium, haec via pacis est, cum iustitia regula sit, per quam omnis dissensio atque discordia ad aequalitatem, pacem atque 10 concordiam reducatur teste Isaia dicente: »Opus iustitiae pax«. Et Iacobus in epistola: »Fructus iustitiae in pace seminatur«, quam qui fugit, qui aspernatur, qui armis potius quam iustitia dirimere cupit, si quas cum proximo differentias habeat, proculdubio per invia pergit, iniusti belli auctor est. Omne namque bellum motum, priusquam causa eius movendi per 15 iudicem atque superiorem, iustane an iniusta sit, cognoscatur, cumque iusta reperta fuerit, antequam videretur, utrum sit alia via iuris consequendi melior et facilior, et cum visum fuerit omnino bellum esse movendum, nisi auctoritate superioris concedatur, iniustum est, quique illud gerunt, illis subiacent poenis, quae contra iniusti belli motores pro- 20 mulgatae sunt, quae multae gravesque sunt, ut vos omnes scitis. Ecce sedes apostolica, quique in ea dignissime sedet, qui supremum in terris tribunal tenet, cui omnes colla subiicere iure tenemur, cuius sententiae refragari nefas est, siquidem cum communis omnium sit pater et princeps, non nisi aequa lance filiorum dissensiones audit, examinat et diiudicat, 25 me quamvis indignum ad vos misit, hunc conventum ad tollendum differentias vestras, ad pacem firmandam, ad sedandos animos indixit. Vos vero, ubi et occultum animo antequam reconditum odium extinguere delereque debueratis, iam illud in lucem tulistis et non expectato termino praestituto, non legato pontificis maximi ad arma prorupistis, quasi 30 meliora remedia respuentes, quasi iussa patris animarumque vestrarum pastoris contemnentes, quasi non essent iura, non leges, non qui his regulis discernere possent inter dissidentes, qui unicuique, quod suum est, reddant. »Quid dicam? Laudo vos? in hoc non laudo.« Quod enim ad iudicem primo confugiendum sit, principes illustres, non solum 35 christiana religio iubet, verum etiam exteri philosophi docent. Audite Aristotelem in quinto ethicorum dicentem: Cum homines inter se de quoquam dissentiant, ad iudicem confugiunt. Ad eum enim accedere, ad ius accedere est, siquidem iudex ius sit animatum. Ideo ad eum B 83^v tamquam ad medium eundum est. Secus vero facere arrogantiae, inoboe- 40 dientiae inordinatique regiminis est, quo fit, ut multae rapinae, latrocinia,

6 Ps. 73, 3. | 11 Jes. 32, 17. | 12 Jac. 3, 18. | 34 I Cor. 11, 22. | 37 cf. Arist. Eth. ε 7. 1132 a, 22 sqq.

depopulationes, strages, devastaciones tam publicae quam privatae contra populum innocentem accidant. Inservitur militibus, stipendiariis obtemperatur, modo arbitrioque eorum cuncta feruntur agunturque, eorum cupiditati omnia subiiciuntur. Et vos aequo animo fertis, quae
5 omni conatu totisque viribus inhiberetis, si divinum iudicium, si iram eius, si officium vestrum et, cur vos populis praefecerit Deus, consideraretis.

Sed eia suscipite pacem, suscipite iustitiam, cum praeter haec omnia eventus belli incertus sit, immo vero cum certissimum sit bella iniusta
10 contra fideles et illos quidem propinquos mota numquam bonum finem, numquam victoriam habitura, ubi idem est vincere, quod vinci, idemque profligare, quod profligari. Constat divino imprimis auxilio bella feliciter confici. Divinum vero numen a talibus bellis abhorreere manifestum est omnibus. Ad haec, si bellum feliciter gerendum multitudinem militum,
15 magnam pecuniae molem, sociorum virtutem, ducis strenuitatem, locorum oportunitatem desideret, quis quaeso se his omnibus refertum putat? Quis in omnibus his adversario praevaleret ac, si praevaleat, cur tot res absumere velit? Qua de re et suas et aliorum vires conterere, praesertim cum adversarii propinqui sint, bonaque illorum propinqua sint? Non
20 est censenda victoria, quae maius damnum quam utilitatem sit allatura. Refert Aristoteles in secundo politicorum Autofradatem, regis Persarum ducem potentissimum, urbem Artanea obsidentem hac ratione potissimum Eubuli obsidionem solvisse. Si enim, inquit, Eubulus sumptus ad expugnationem usque oppidi faciendos computaveris, malles pro-
25 fecto, si tua urbs esset, pro minori pretio cedere aliis. Vos vero pro tam parvis rebus, pro minimis differentiis arma contra propinquos movetis, iura naturae confunditis, vires vestras frustra conteritis multo plura profecto consumpturi quam acquisituri. At honoris, inquires, non lucri causa certatur. Ego vero honorem quidem ceteris anteponendum censeo.
30 Illum vero honorem et appello et puto, qui bonis operibus, qui iustis actibus, qui prudentia, temperantia, fortitudine ceterisque virtutibus gignitur. Si nullum eorum, qui principibus subsunt, nisi qui principi suo gratus sit, honore dignum putamus, quanto magis principis creatorisque nostri gratiam omni conatu debemus acquirere, si honorem cupimus.
35 At Deo gratus honoreque dignus nemo esse potest, nisi qui obsequitur ei, qui non refragatur eius sententiis nec eius mandatis resistit. »Deus B 84 enim superbis resistit, humilibus autem, ut ait Salomon, dat gratiam « Hic verus est honor, hunc omnibus anteponendum, principes illustres, concedo.

40 Praeponenda est igitur aequitas, iustitia, patientia, pax divitiis, gloriae, potentatui et bellis. Si illud est appetendum, quod durabilius

atque certius est, pax est illa profecto, non bellum. Siquidem per se bonum bonique causa est, eligibilis est. Pax eligenda est, non bellum. Hic verus honor, haec vera laus est in electione non aberrare, media invenire, quibus homo utramque felicitatem attingat. Non enim satis ad bene vivendum, in septimo politicorum Aristoteles ait, ut rectus sit 5 finis et intentio bona, cum hoc omnis appetat natura, nisi etiam media inveniamus atque actiones, quae ad illum rectum finem nos ducant, quae nos felicitatis compotes faciant. Haec hominis prudentis, haec virtutibus praediti proprium et nimirum omni honore digni sunt. Non concipitis animo, non cogitatis, principes illustres, quam nocivae, quam graves 10 damnosaeque reipublicae christianae fuerint et sint christianorum principum simultates atque dissensiones? Quid aliud maximam Christianorum potentiam minuit, Turcorum vero magnam ex minima effecit, et ita magnam, ut iam tota Asia, magna Europae parte occupata Pannonia prematur, de Germania atque Italia, quae Pannonibus conterminae sunt, 15 maxime timeatur? Ampliarem hanc rem et eam deplorarem, ut decet, nisi et pro magnitudine sua vobis notissima esset, et mihi ad praesens pax vestra imprimis nationisque huius quies et salus esset proposita, a qua primo incipiendum est, antequam ad Turcos deveniatur. Sine pace enim absque unione vestra quicquam contra inimicos crucis moliri 20 frustra laborare esset. Unitis namque animis vestris atque viribus eos aggrediendum est. Quare hic laborandum, hic instandum est.

Ecce igitur verum honorem, ecce gloriam sempiternam, laudem immortalam, famam perpetuam, divitias, principatus, potentatus offero vobis. Haec omnibus aliis anteponenda sunt, haec amplectenda, omittenda 25 bella intestina, quae contra nos ipsos et sanguinem proprium, contra eiusdem fidei homines geruntur. Contra infideles arma sumantur. Contra inimicos crucis hostesque fidei nostrae et nostros iustum, immo vero necessarium moveamus bellum. Siquidem, si nos non movemus eis, illi nobis movebunt. Non quiescunt, non contentantur. Serpunt, progrediuntur, fidem 30 Christi conantur delere. Si non nos ad eos, illi ad nos accedent. Si non aggrediamur eos illis in locis, quos nobis arripuerunt, cogent nos nostris in laribus nos ipsos tueri. Fuerunt inter Pannonos, qui, si quis eis ante vicesimum annum talia dixisset, contemptui ea habuissent, non potuissent a cachinno abstinere. At nunc sentiunt, qua extrema necessitate, quibus 35 periculis subiacent. A nobis hoc Deus avertat. Si pacatis inter vos rebus istis privatis contra infideles procedatur, prout rei magnitudo expostulat, vosque ipsi iam tertio, primo Francofordiae, deinde in Nova Civitate, demum Mantuae Deo summoque pontifici polliciti estis, Deus vobis assistet, felicitatem, prosperitatem et victoriam vobis praestabit, conteret 40 et confliget inimicos vestros, magnam vobis utroque in saeculo gloriam concedet.

5 cf. Arist. Pol. η 3. 1325 b.

Etenim inimici nostri non multitudine, non fortitudine, nulla denique virtute nos vincunt, sed unitate dumtaxat, concordia et vigilantia sua. Nostra vero divisione, desidia, bellis intestinis iuvantur. Quae si deponetis—deponetis autem, si volueritis—et contra illos viribus
 5 vestris utamini, tamquam pulvis a facie terrae proiicientur tamquam cera liquescent. Si M. Aemilius Lepidus, bis consul, diutinas ac vehementes cum Fulvio Flacco, eiusdem amplitudinis viro, inimicitias gestas, cum simul censores creati fuissent, in campo deposuit, si Sextus Livius Salinator iusto Neronis odio ardens, cum in consulatu collega ei datus
 10 fuisset, mentem ad tranquilliorum habitum inclinavit, si idem Africanus superior et Titus Gracchus, idem Themistocles et Aristides fecerunt existimantes non oportere eos privatis inimicitiis desiderare, qui reipublicae ampliandae atque conservandae ceperint curam et potestatem, quanto magis vos, christianissimi principes, non pro republica caduca et tempo-
 15 ranea, sed pro fide orthodoxa, pro fide catholica defendenda idem facere debetis? Quod si plures — quod absit — odia privata facientes intestina prosequimini bella, et haec longe lateque diffusa germanica natio deficiet: a promissis nec aliquid contra communes hostes, quod dignum sit, molietur, et ceterae omnes huius exemplo tamquam princi-
 20 palioris tamquam maioris, et in qua est maior spes collocata, pigrescent ipsae quoque et negligent, proque sua defensione vestro utentur exemplo, ita ut quicquid inde mali, quicquid calamitatis et aerumnae Christianis accidet, vobis principes illustres vestraeque nationi ascribetur et illi praesertim ex vobis, qui potissima bellorum causa iudicabitur. Quod B 85
 25 quanti oneris, quanti periculi, quantaque infamiae cum apud homines tum apud Deum erit, vos ipsi considerate. Hoc ego affirmare possum neminem esse debere compotem mentis, honoris salutisque suae vel minimam rationem habentem, qui non mortem, non omnia tormenta pro hac infamia evitanda commutaret. Ut igitur honorem, quem cupitis
 30 vel cupere debetis, et gloriam veram assequamini, bella contra fidei hostes geratis. Inter vos pacem amplectamini. Pacem diligite, principes excellentes. Ad quam vobis acquirendam atque restituendam omnem laborem, omnem diligentiam, omnem denique curam me bono animo, zelo ac fide servituum polliceor, cum ut iussa pontificis maximi exsequar,
 35 tum ut rem gratam Deo, vobis utilem christianaque reipublicae necessariam efficiam, illius adiutorio fretus, qui omnium bonorum operum auctor est, cuiusque gratia cooperante finis optatus in unaquaque re attingitur.

34 servituum L subituum B | 37. unaquaque B quaque L

B 85

Bessarionis**Replicatio ad Responsonem Legatorum Germaniae.**

M 58 Multa quidem et antehac a vobis magnifice dicta sunt et nuper etiam copiosissime in scriptis recitata, praestantissimi viri, principum populorumque Germaniae oratores, quae et dominorum vestrorum et vestrum 5 ad res, de quibus agitur, summum studium et singularem ardorem prae se ferunt. Ea et nos commendavimus saepe pro tempore et certe commendatione dignissima existimavimus, dummodo facta verbis aliquando respondeant et promissorum magnificentiam optatus exitus sequatur. Satis superque usque in hunc diem a nobis habitum est verborum. 10 Satis suum quisque ad salutem christianae reipublicae ferventissimum desiderium praedicavit. Iam tempus est, ut omissis verbis ad rem veniamus. Armis, armis, inquam, opus est, viri praestantes, non verbis; exercitu bene instructo, non compta et perpolita oratione; robore militum, non verborum magnificentia. Multa profecto a vobis prudentissime recitata 15 sunt, quae bello huic gerendo necessaria videntur. Sed vehementer cavendum est, ne ob nimiam prudentiam in alterum extremorum incidamus. Oportet huiusmodi rebus agendis et in consilio bonum et in bello strenuum esse, »quorum alterum, ut Sallustius inquit, ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem« parit. Medium itaque am- 20 plecti decet. Nec timidum nimis esse nec nimis audendum. Non negamus pleraque ex his, quae a vobis commemorata sunt, gerendo bello necessaria esse, sine quibus fieri posse ne nos quidem umquam existimavimus. Et tamen multa in medium adducta arbitramur, quae vel omnino

B 85^v supervacua sunt vel non ita necessaria, ut nos quovis modo ab incepto 25 retrahere aut retardare debeant, de quibus quaeso suo ordine videamus.

Imprimis esse opus dicitis ita hanc rem aggredi in primordiis, ut omnes intelligant et luce clarius conspiciantur omni studio et toto mentis ardore ad eam intendi, nec dubitandum esse, si ita fiat, quin ceteri quoque Christianorum reges et principes et reipublicae ad id sponte faciendum 30 excitentur. In hoc certe vobiscum convenimus, praeclari oratores. Hoc est, quod de vobis semper expetivimus, hoc optavimus, hoc precati sumus, hoc idem in praesentia repetimus, ut, quandoquidem eadem est utriusque sententia, ita hoc sanctissimum opus inchoemus, ut omnibus

M 58^v palam sit nos serio agere, et omnis subterfugii, omnis ignaviae suspicio 35 de medio tollatur. Secundo loco necessarium esse asseritis, ut de rebus agendis inter eos consultetur, qui necessitatem negotiorum intelligant, quique in huiusmodi rebus sint experti, idque in his locis fiat, ubi pondus et magnitudo rei, de qua agitur, commodius tractari possit; et

B = Cod. Vat. lat. 4037 P. I. | M = Cod. Mon. lat. 4016.

19 Sallust. Iug. 7, 5.

ad hoc pro ratione adducitis non mediocrem mutationem rerum post
 conventum Francofordiensem factam cum propter immaturam mortem
 Ladislai, Pannoniae regis, in cuius virtute maximam inclita Germaniae
 gens spem habebat, tum propter novum Boemiae regem, qui cum sit in con-
 5 siliis providus, in bello strenuus, in re militari exercitatissimus, potens
 viribus, auctoritate excellens, cumque nec huic, de quo memoravimus,
 Francofordiensi conventui nec ceteris interfuerit, merito ad tantarum
 rerum consultationem esset vocandus. Dehinc propter obitum duorum
 principum sacri imperii, electorum Maguntinensis et Treverensis ecclesia-
 10 rum praesulum, in quorum locum alii duo suffecti sunt, qui supradictis
 conventibus non affuerunt. Postremo propter varias dissensiones, simul-
 tates ac bella, quae postea in Germania orta non mediocriter hanc pro-
 vinciam afflixere. Haec nos, quibus rationibus, quove consilio a vobis
 commemorantur, non satis intelligimus. Ita enim loquimini, quasi de
 15 rebus agendis non capta iam, sed capienda consilia sint. Cavete, obsecro,
 sapientissimi viri, ne hoc sit non huic sanctissimo negotio insistere, sed
 flexiones et diverticula quaerere. An nos in hanc patriam ad consultan-
 dum de bello adversus Turcos movendo, vel ad petendum a vobis denuo
 subsidium transmissi sumus? Minime. Id enim et in conventibus supra-
 20 dictis actum est praesentibus atque rogantibus apostolicae sedis legatis
 et nuper in Mantuano conventu auctoritate pontificis maximi et glo-
 riosissimi domini Romanorum imperatoris conclusum consentientibus,
 immo potius consulentibus vobis, hoc est, principum vestrorum oratoribus
 et aliis, qui vel per se vel per suos aderant, christianis principibus.
 25 Illic decretum est in barbaros bellum. Illic huiusmodi deliberatio capta.
 Quamobrem igitur missi ad vos fuimus, non ut ad bellum suscipiendum
 hortaremur, quod iam publice susceperatis, non ut novi aliquid petere- B 86
 mus, cum et petitus a vobis et concessus fuerit exercitus, sed primo,
 ut simultates ac bella Germaniae, quantum in nobis esset, auctoritate M 59
 30 apostolica sedaremus, deinde promissas a vobis exigeremus copias.
 Sola haec legationis nostrae causa exstitit. In sedandis Germaniae dissen-
 sionibus Deo et vobis testibus, quantum in nobis fuit, quantumque
 nostro studio, diligentia, labore fieri potuit, operam dedimus. Nunc
 providentia solius Dei operante omnia satis pacata ac tranquilla sunt,
 35 nec aliquid superest, quod tam sanctum et necessarium opus impedire
 debeat, quandoquidem vel fervescentibus pristinis bellis nullatenus
 praetermittendum esset.

Superest igitur secunda pars, ut promissum a vobis exercitum
 exigamus. Id nunc agimus. In hoc in praesentia elaboramus. Hoc
 40 est, quod a vobis petimus. Alligatis nobis regum ac principum mortes.
 Adducitis regnorum novitatem. Quid sibi vult istaec commemora-
 tio? Doluimus certe et dolendus omnibus fuit Ladislai regis im-
 maturus interitus. Vivit tamen et vivet Pannoniae regnum. **Viget**

regni robur. Supersunt vires. At Ladislaus in Francofordiensi conventu ingentem militum manum promiserat, fateor. Sed certe non minorem nuper in Mantuana synodo Pannonii promiserere. Decretum est enim, ut vobis constare debet, Ungaros cum praesidio summi pontificis quattuor et viginti equitum milia praestare debere certo peditum numero adiecto. 5 Nam de rege Boemiae quid queramini, non satis intelligimus. Est enim et potentissimus et bellicarum peritissimus rerum, cuius nobis tempestiva praesidia non deerunt. Siquidem in proximo Viennensi conventu, in quo pauci ex vobis comparuere, habuit hic rex ipse legatos suos, viros illustres et graves, qui nobis coram caesarea maiestate praesidium 10 excellentia tanti principis dignum amplissime promiserunt. Nec certe diffidendum est regem et potentem et devotum excellens aliquid in defensione christianaefidei et maiestate sua dignum non per communem impositionem, sed sponte sua facturum, modo vos debitum vestrum exsolvatis, cum praesertim rex inclitus non modo consenserit, sed etiam 15 regia auctoritate iusserit per totum suum regnum cruciatam praedicari, quod nondum alibi inter Germaniae fines inceptum est. Ad haec heri inclinante iam die venit ad nos eius orator cum regiis litteris, per quem se de non missis legatis excusat dicens se alias abunde voluntatem suam nobis indicasse et, quotiescumque opus fuerit et a nobis requiretur, 20 etiam supra promissa facturum et proficiscente cum exercitu caesareo se auriga sua imperatoris aurigam secuturum. Quod si velim et necessarium videatur, adhuc se missurum huc legatos pollicetur, cum primum id iusserimus.

Quo fit, ut de duobus istis Pannoniae atque Boemiae regnis non 25 modo eadem, quae ante actis temporibus, sed etiam maior spes M 59^v haberi videatur. Quod si Theodoricus et Iacobus, Maguntinensis et B 86^v Treverensis ecclesiarum pontifices, spiritum Deo reddiderunt, at successerunt Dietherus et Ioannes earundem ecclesiarum praesules, qui quamquam conventibus illis non interfuerint, sunt tamen praedecessorum 30 promissionibus astricti illisque nec animo nec viribus inferiores, et eo ad hanc rem promptiores esse debent, quo recentioribus sunt ab immortalis Deo beneficiis affecti. Nulla est igitur mutatio rerum, ut dicitis. Exstant reges. Exstant principes. Exstant regna et principatus. Quod si mutatio dicenda est, non minores tamen debent esse spes nostrae, 35 cum non minor propterea sit ad negotia gerenda commoditas. Quod si huiusmodi causae retrahere nos ab incepto deberent, quidem numquam huius rei principium sperare aut exspectare possemus. Numquam deerunt mortes. Numquam eversiones rerum. Omnia nostra momentanea sunt. Omnia fluxa, instabilia, caduca. Haec est mundanarum rerum conditio, 40 ut quod hodie est, cras non sit; immo quod nunc est, mox desit. Propterea Phidias opifex ille excellentissimus fertur, cum aliquando interrogaretur, quamobrem fortunam sedentem finxisset, ita respondisse, quoniam stare

non potest. Sed esto, omnia ita sint, ut vos dicitis. Num propterea obligatio vestra dissolvitur? Excitamini parumper, quaesumus, et quod nos petimus, et quid vos respondeatis, attendite. Non nos in praesentia, quae in Ratisponensi aut Francofordiensi aut Neostatensi conventibus vel
 5 cogitata vel promissa fuerunt, exposcimus. Secutae sunt deinde principum mortes, fateor. Divisa sunt regna, concedo. Facta est ingens mutatio rerum, esto. Quid haec ad nos? Nos quidem copias proximis fere diebus et heri, ut ita dixerim, aut nudius tertius in Mantuano conventu promissas petimus. Eas poscimus. Eas efflagitamus. Eas exigimus. Pro-
 10 miserunt principes vestri. Promisistis vos et alii eorum oratores, viri excellentes et graves, publice omni Mantuano conventu praesente X milia equitum, peditum vero XXXII milia. Exstant publica documenta super his contenta. Mandatae sunt litteris promissiones vestrae. Exstant mandata principum vestrorum facta oratoribus suis plenissima,
 15 quae et diligentissime custodiuntur et, cum res exiget, proferri poterunt. Nulla post haec Ladislai mors secuta est. Nulla Boemiae regis erectio. Nullus Maguntini et Treverensis interitus. Nulla rerum mutatio. Testes mihi estis vos ipsi, quod vera loquor. Testis est mihi Deus, quia et vera dico et pro reipublicae salute dico et pro gloria ac honestate vestra,
 20 ne, si — quod absit — tergiversari velitis, dici de vobis oporteat illud Hieremiae: «Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus». Cogitate parumper, obsecro, viri sapientes, nisi hoc feceritis, quae non dicam honestas, sed honestatis simulatio vobis relicta erit, quae infamia hanc M 60
 inclitam patriam sequetur, quae semper fidei adamas splendidissimus
 25 et fuit et habita est.

Subiungitis tertio loco ante omnia necessarium esse, ut vera B 87
 pax et intemerata concordia inter principes et populos Germaniae fiat, quo quietis et tranquillae patriae rebus incumbenti negotio facilius
 30 intendi possit. Diximus paulo ante et nunc quoque repetimus res germanicas divina providentia satis in praesentia quietas pacatasque esse. Quod si quid novi emergerit, parati sumus omnem laborem, vigilantiam, sollicitudinem pro hac re ponere. Nullum incommodum, nullum etiam corporis periculum recusamus. Indicemus, quotiescumque opus fuerit, vel perpetuam pacem vel temporarias indutias. Adiciemus minas
 35 et poenas spirituales. Nec ambigimus imperatoriam maiestatem omnia etiam ad eam rem necessaria facturam. Quod si ille totius bonitatis aemulus, daemon et salutis humanae hostis perpetuus aliquid vel veteris odii suscicaret vel novi excitaret, non tamen propterea relinquendum esset hoc sanctum propositum. Imperitorum medicorum est duabus
 40 partibus corporis languentibus, si unam sanare non possit, sinere utramque putrescere. Etiam si non unus aut alter, sed multi simul in ecclesia

Dei insurgerent Achab, non tamen dicendum esset Heliae: «Relictus sum solus, et quaeret animam meam,» ne divinum ei dicat responsum. «Reliqui mihi septem milia virorum, qui non incurvarunt genua sua ante Baal.» Mittendae quidem sunt manus ad aratrum, et de agro Domini spinae, quae evelli possunt, evellendae, neque tamen disserendum, quin etiam 5 remanentibus spinis necessariae fruges serantur. Non sunt praeponenda minora maioribus, non sunt praeferenda humana divinis, profecto cum pro salute christiani populi, pro defensione fidei orthodoxae certatur, pro Christo certatur, pro Dei laude, pro gloria omnipotentis. Non possum me continere, quin dicam, quod dolens gemensque dico. Nemo 10 est ex omnibus Germaniae principibus, qui si sit, ut fere omnes sunt, alteri principi foedere aut societate coniunctus in omni eius necessitate, quantumlibet ipse bello obsessus sit, non spoliet se parte militum suorum, ut fidem socio servet, ut necessitati illius provideat. Hic vero non cogitant se foedus cum Deo fecisse, Deo se obligatos esse, Deum ab 15 ipsis debitum praesidium petere pro defensione fidei suae, pro salute Iesu Christi, filii sui, ne iterum a barbaris crucifigatur, immo vero ne saepius crucifigatur. Crucifigunt enim barbari Christum, quoties populos eius, pro quibus ipse crucifixus est, sanguinaria crudelitate dilaniant, virgines ei dicatas polluunt, sanctuaria contaminant. Putatisne Deum 20 B 87^v aequis haec oculis aspicere posse? Audite, audite, quid Leo ille sanctissimus M 60^v pontifex et quasi alter leo rugiens dicat. Ambigi, inquit, non potest crimen magnum admitti, ubi et propositum deseritur et consecratio violatur. Nam si humana facta non possunt impune calcari, quid de his manebit, qui corruperint foedera divini sacramenti? 25

Verum nunc ad alia veniamus. Necessarium esse affirmatis, ut simultates et discordiae, quae in regno Hungariae vigent, e medio tollantur. Aliter enim omnis conatus noster nequiquam fieret. In hoc certe vobiscum sentimus et ita esse, ut vos dicitis, fatemur. Laboravimus in ea re usque in hunc diem et laboramus, nec diffi- 30 dimus imperiali bonitate ac clementia favente nos ei rei optatum finem imposituros. Sed non est ob hanc rem differenda conclusio parandi exercitus. Omnis mora periculosa est. Hostis noster quotidie in Christianos grassatur, continue auget vires suas, semper fit potentior, nostros in dies debiliores reddit. Nos longis tractatibus 35 et conventuum multitudine terimus tempus. Procedamus, obsecro vos, ordine debito. Duo hic agenda sunt. Primum de exercitu parando; hoc praecipuum est et totius rei caput. Deinde omnibus de rebus ad expeditionem necessariis, quae secundo loco sunt. Extricemus, si libet, primum. Deinde illo concluso ad alia veniamus. Frustra enim omnis 40 de sequentibus disputatio fieret, nisi primum admiserimus. Quod si

1 Rom. II, 3 sq.

primum, de quo agimus, conclusum fuerit, mox de ceteris omnibus
 disserere poterimus et, quoad cogendi exercitus tempus advenerit, diffi-
 cultates, quae propositum nostrum impedire valerent, extirpare. Quod
 si favente Domino, cuius res agitur, concessum fuerit, omnia pro voto
 5 succedent. Sin minus, — quod absit — nulla vos amplius obligatio tenebit,
 non promissione, non voto, non iuramento eritis astricti, excusati
 eritis apud Deum, excusati apud homines cum gloria et laude vestra
 inceptum relinquetis. Absit a sanctissimo domino nostro, qui non tam
 pius nomine, quam re piissimus est, absit ab apostolica sede haec impietas,
 10 ut filios suos perdere velit. Caro et sanguis noster estis. Non ad lanienam
 vos mittere cupimus, sed ad triumphum. Nisi res Ungariae ita componan-
 tur et in eo constituentur statu, ut tamquam amici inter amicos transire
 ac conversari possitis, non est eundum. Non enim in Christianos, sed
 in barbaros bellum paramus. Nisi transitus per eandem provinciam
 15 tutus praestetur, non est eundum. Habemus super his ab apostolica
 sede facultates amplissimas, quibus securitati utriusque partis debitis
 et sufficientibus modis provideamus. Nisi principes, ductores, guber-
 natores republicae securitatem se tam euntibus quam redeuntibus M 61
 praestituros sponderint, non est eundum. Nisi commeatus abunde et
 20 honesto pretio ac moneta solita suppeditentur, non est eundum. Cum
 saevior ferro sit fames, et non tam proelium quam penuria consumat
 exercitum. Fames enim, ut dicitur, intrinsecus pugnat et vincit saepius B 88
 quam ferrum extrinsecus. Unde ortum est proverbium: Qui necessaria
 frumenta non praeparat, vincitur sine ferro. Nisi Ungariae regnum debitam
 25 partem et, ut supra diximus, pollicitam exercitus sui praestiterit, non est
 eundum.

Taceo de illustrissimo principe Burgundiae duce, qui, ut oratore
 eius, viro gravissimo, referente didicistis, duo milia equitum et peditum
 quattuor in Mantuana synodo obtulit et nunc in vestrum omnium con-
 30 spectu liberalissime offert. Quae excellentissimi ducis oblatio et plurimi
 facienda est propter eius potentiam et maximam auctoritatem et ita
 pro certa habenda, ac si iam promissam rem in manibus teneremus.
 Nota est omnibus illius principis virtus, magnitudo animi, religio et
 singularis erga Deum et christianam fidem sinceritas, cum apud omnes
 35 manifesta sint ea, quae antehac pro fidei defensione cum summa laude
 gessit, et sumptus, quos maximos sustulit. Utinam res paterentur, ut
 sine proprii status detrimento ipse dux personaliter proficisci adversus
 barbaros posset. Haec certe via esset ad Christianorum salutem ex-
 peditissima, et ipse rem iam multis ante annis desideratam cum summa
 40 voluptate perficeret. Et ut breviter ac summatim concludamus: decre-
 tum est in Mantuano conventu unanimi omnium, qui affuerunt, consensu
 bellum adversus Turcos movendum, dumtaxat ad regiam urbem Con-
 stantinopolim recuperandam et barbarum ex Europa pellendum. Ad